



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CCCXVI. De Impugnatione castris Raganitae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

de cibo & rebus aliis ibi deposuerant deductos. Turbati ergo fratres dum venirent ad secundam mansionem, & ibi & de pane & aliis relictis nihil penitus invenirent, processerunt & pluribus diebus fuerunt sine pane, quidam fame invalescente comederunt equos suos, alii herbas, & radices earum, aliqui mortui fuerunt fame, multi inedia consumpti post reditum defecerunt, reliqui circa finem sextæ hebdomadæ à die quâ exierant sunt reversi.

CAP. CCCXVI.

*De**Impugnatione castri Raganitæ.*

Anno Domini MCCCXV. circa assumptionem B. Virginis Lethovini de Samethia cum omni potentia exercitus sui venerunt occultè & improvisè ad castrum Raganitam & impugnaverunt illud, quibus fratres dum occurrerent in bello, non valentes tantæ multitudini resistere, coacti sunt retrocedere; non tamen sine pœnitentiâ suorum, quia Fr. Joannes dictus Poppo ibi occisus fuit ab infidelibus & plures alii vulnerati. Tandem cum Lethovini in hac impugnatione non proficerent, calcatis & destructis in agro utriusque castri, scilicet Scallovitarum & Raganitæ, segetibus, recesserunt.

CAP. CCCXVII.

*De**Obsidione castri Christmemele.*

Eodem anno mense Seprembri Wittenus Rex Lethovinarum, congregatis omnibus de regno suo, qui ad bellum apti fuerunt, obsedit Christmemelam & per XVII. dies duabus machinis & multis Sagittariis ex omni parte fortissimè impugnavit. Fratres autem hoc videntes, ut præcaverent futurum periculum,